

/ Serenissime Princeps, Domine Clementissime. [Serenissima Cel-  
situdō Vestra nimium me litteris suis tam frequentibus honorat: ne-  
que me solum honorat, sed multis rem gratissimam facit, cum quibus  
litteras ipsas communico: omnes enim pii de eventu belli istius val-  
5 de solliciti, atque anxii cum sint, vehementer exultant, cum litte-  
ras tanti principis legi audiunt, quem sciunt non nisi vera, et certa  
scribere: non enim desunt alii qui scribant, non quae re ipsa gerun-  
tur, sed quae geri cupiunt, vel certe ita credi, ac si revera gesta  
fuissent. Sed his omissis, ego valde misereor militum, et assidue  
10 pro eis preces ad Deum fundo, quippe qui saepissime bellis interfui,  
quamvis miles numquam fuerim, et calamitates militum vidi puer in  
Italia, juvenis in Belgio, vir maturus in Gallia, strages morentium  
vidi, obsidionis et famis aerumnas passus sum: omitto scelera, et fla-  
gitia plurima, quae geri aut vidi, aut audivi ab iis patrari, quae pau-  
15 lo post vitam cum morte in proelio commutabant, et ante ad gehennam  
perveniebant, quam de praeparatione ad bene moriendum cogitare coe-  
pissent. Haec causa est, cur suspiciam, et admirer pios duces, et impe-  
ratores, qui milites suos verbo, et exemplo docent, qua ratione sine  
offensione Numinis sanguinem hostium fundere, et vitas suas pro jus-  
20 titia, vel pro religione profundere gestiant. Hoc ipsum Sanctus Ber-  
nardus scribens ad milites templi mirifice laudat sua illa melliflua  
eloquentia. Secuti, inquit, procedite milites, et intrepido animo ini-  
micos Crucis Christi propellite, certi, quia neque mors neque vita  
vos separare poterit a charitate Dei, quae est in Christo Jesu: il-  
25 lud sane vobiscum in omni periculo replicantes sive vivimus sive mo-  
rimur, Domini sumus. Quam gloriosi revertuntur victores de proelio,  
quam beati moriuntur martyres in proelio. Gaude, fortis athleta, si  
vivis, et vincis in Domino: sed magis exulta, et gloriare, si moreris,  
et jungeris Domino. Vita quidem fructuosa et victoria gloriosa, sed  
30 utrique mors sacra jure praeponitur: nam etsi beati, qui in Domino  
moriuntur; non multo magis, qui pro Domino moriuntur? Haec et alia

/ multa scribit sanctus Bernardus de bello Christianorum contra infideles: quae non minus quadrant, in bellum catholicorum contra haereticos. Sed nolo esse prolixior, neque Celsitudinem Vestram Serenissimam multiloquio meo occupare, quam in rebus longe gravioribus, et utilioribus occupatam esse non ignoro. Opto Serenissimum Dominum meum bene valere, et hostes coelestis imperatoris simul, et terrestres feliciter debellare. Romae die 14. Novembris 1620.

---

*Summ. Additiorale p. 89-90*

*Ep. Famil. 172*